

# EPISTULA LEONINA

## CCXVI

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CCXV** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**DUCENTESIMAM SEXTAM DECIMAM (216) !**

## ARGUMENTA

|  |       |
|--|-------|
| 1. PRIMUM NON NOCERE.....  | 03    |
| 2. HIPPOCRATIS IUSIURANDUM.....  | 04    |
| 3. SCRIBONII LARGI PRAEFATIO.....  | 05-08 |
| 4. MEDICUS ITALUS REFERT QUID FACTUM SIT IN URBE BERGAMO.....            | 09-13 |
| 5. DE MORBI CORONAE UNDA ALTERA MEDICUS QUID SENTIAT.....                | 14-18 |
| 6. ECCE VACCINATOR MUNDI ! .....   | 19-24 |
| 7. VILELMUM GATES PRAEDARI GERMANIAM ( <i>Ken Jebsen</i> ).....          | 25-26 |
| 8. CHRONICON FURORIS CORONARII GERMANICUM ( <i>Stefan Homburg</i> )..... | 27-38 |
| 9. CHRONOGRAMMATA DEMMINGIANA & RÖSSLERIANUM.....                        | 39-40 |
| 10. MANETISNE DOMI? ( <i>Urbanus Ferrarius</i> ).....                    | 41-42 |
| 11. EPISTULAE.....   | 42-43 |
| 12. AUGETE EMISSIONEM CARBONEI DIOXYDATI !.....                          | 44    |

## LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

### *Cara Lectrix, Care Lector,*

*Epistulam Leoninam tibi offero ducentesimam sextam decimam (216).*

*Longa interposita est pausa Epistulas Leoninas êdendi, in quâ cum aliis tum Orbi Picto Hexaglotto deditus eram componendo.*

*Interim in plerisque terris mundi sub praetextu pandemiae impugnandae gubernatio cives coegit, ut observarent severam quarantenam generalem (lockdown, shutdown), quâ oeconomia fataliter debilitatur necnon homines iuribus fundamentalibus privati insulantur. Sôla Suetia abstinuit a quarantênâ generali; quantum scio, in hac terrâ Scandinaviae usque nunc nulla strages facta est coronaria, sed adhuc cives gaudent voluptate illâ congregandi hominibus innatâ. Fuerant apud nos homines docti, qui praemonuerant damna atque detrimenta quarantena generalis maiora fore quam illa, quae umquam effici possent virulentiâ covidianâ, sed iidem a gubernatione non auditi sunt. Nunc in dies plures dicunt similia. Si rectê dicunt - num politici nunc dictatoriâ ferê potestate gubernantes umquam rationem reddent, num umquam causam dicent? Nemo scit, quid serus vesper vehat.*

*Speremus fieri posse, ut servemus bonam valetudinem necnon recuperemus oeconomiam prosperam plenamque libertatem. Nam omne trinum est bonum, et si unam non habemus, citius aut tardius amitemus etiam ceteras duas.*

*Utinam semper procul sis a vîro covidiano: vivas, crescas, floreas!*

**Medullitus Te salutatur**

**Nicolaus Groß**

**Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,**

**Die Iovis, 21. m. Maio a.2020**



## HIPPOCRATIS IUSIURANDUM

| GRAECE <sup>2</sup>  | LATINE <sup>1</sup>  |
|--|--|
| Ὅμνυμι Ἀπόλλωνα ἰητρὸν, καὶ Ἀσκληπιὸν, καὶ Ὑγίαν, καὶ Πανάκειαν, καὶ θεοὺς πάντας τε καὶ πάσας, ἴστορας ποιούμενος, ἐπιτελέα ποιήσειν κατὰ δύναμιν καὶ κρίσιν ἐμὴν ὄρκον τόνδε καὶ συγγραφὴν τήνδε.  | Per Apollinem Medicum, et Aesculapium, Hygiamque et Panaceam iureiurando affirmo et Deos Deasque omnes testor, me quantum viribus et iudicio valero, quod nunc iuro, et ex scripto spondeo planè observaturum.   |
| Ἦγήσασθαι μὲν τὸν διδάξαντά με τὴν τέχνην ταύτην ἴσα γενέτησιν ἐμοῖσι, καὶ βίου κοινώσασθαι, καὶ χρεῶν χρηρίζοντι μετάδοσιν ποιήσασθαι, καὶ γένος τὸ ἐξ ωπτεύου ἀδελφοῖς ἴσον ἐπικρινέειν ἄρῃεσι, καὶ διδάξειν τὴν τέχνην ταύτην, ἣν χρηρίζωσι μανθάνειν, ἄνευ μισθοῦ καὶ συγγραφῆς, παραγγελίης τε καὶ ἀκροήσιος καὶ τῆς λοιπῆς ἀπάσης μαθήσιος μετάδοσιν ποιήσασθαι υἱοῖσί τε ἐμοῖσι, καὶ τοῖσι τοῦ ἐμὲ διδάξαντος, καὶ μαθηταῖσι συγγεγραμμένοις τε καὶ ὠρκισμένοις νόμῳ ἰητρικῷ, ἄλλῳ δὲ οὐδενί. | Praeceptorem quidem qui me hanc artem edocuit, parentum loco habiturum, eique cum ad victum, tum etiam ad usum necessaria, grato animo communicaturum et suppeditaturum. Eiusque posteros apud me eodem loco quo germanos fratres fore, eosque si hanc artem addiscere volent, absque mercede et syngraphâ edoctrum. Praeceptionum quoque et auditionum, totiusque reliquae disciplinae, cum meos et eius qui me edocuit liberos, tum discipulos qui Medico iureiurando nomen fidemque dederint, participes facturum, aliorum praeterea neminem. |
| <b>Διαιτήμασί τε χρήσομαι ἐπ' ὠφελείῃ καμνόντων</b> κατὰ δύναμιν καὶ κρίσιν ἐμὴν, <b>ἐπὶ δηλήσει δὲ καὶ ἀδικίῃ εἴρξειν.</b>  | <b>Victûs quoque rationem,</b> quantum facultate et iudicio consequi poterò, <b>aegris utilem me praescripturum, eosque ab omni noxiâ et iniuriâ vindicaturum.</b>   |
| Οὐ δώσω δὲ οὐδὲ φάρμακον οὐδενὶ αἰτηθεὶς θανάσιμον, οὐδὲ ὑφηγήσομαι ξυμβουλίην τοιήνδε. Ὅμοίως δὲ οὐδὲ γυναικὶ πεσσὸν φθόριον δώσω. Ἀγνῶς δὲ καὶ ὀσίως διατηρήσω βίον τὸν ἐμὸν καὶ τέχνην τὴν ἐμὴν.  | Neque cuiusquam precibus adductus, alicui medicamentum lethale propinabo, neque huius rei autor ero. Neque simili ratione mulieri pessum subditium ad foetum corrumpendum exhibebo, sed castam et ab omni scelere puram, tum vitam, tum artem meam perpetuo praestabo.   |
| Οὐ τεμέω δὲ οὐδὲ μὴν λιθιῶντας, ἐκχωρήσω δὲ ἐργάτησιν ἀνδράσι πρήξιος τῆσδε.   | Neque vero calculo laborantes secabo, sed magistris eius artis peritis id muneris concedam.  |
| Ἐς οἰκίας δὲ ὀκόσας ἂν ἐσίω, ἐσελεύσομαι ἐπ' ὠφελείῃ καμνόντων, ἐκτὸς ἐὼν πάσης ἀδικίης ἐκουσίης καὶ φθορίης, τῆς τε ἄλλης καὶ ἀφροδισίων ἔργων ἐπὶ τε γυναικείων σωμάτων καὶ ἀνδρῶν, ἐλευθέρων τε καὶ δούλων.   | In quancunque autem domum ingressus fuero, ad aegrotantium salutem ingrediari, omnem iniuriae inferendae et corruptelae suspicionem procul fugiens, tum vel maximè rerum venerearum cupiditatem, erga mulieres iuxta ac viros, tum ingenuos, tum servos.   |
| Ἄ δ' ἂν ἐν θεραπείῃ ἢ ἴδω, ἢ ἀκούσω, ἢ καὶ ἄνευ θεραπείης κατὰ βίον ἀνθρώπων, ἃ μὴ χρὴ ποτε ἐκλαλέεσθαι ἔξω, σιγήσομαι, ἀρῶντα ἠγεύμενος εἶναι τὰ τοιαῦτα.   | Quae vero inter curandum, aut etiam Medicinam minimè faciens, in communi hominum vitâ, vel videro, vel audivero, quae minimè in vulgus efferri oporteat, ea arcana esse ratus, silebo.   |
| Ὅρκον μὲν οὖν μοι τόνδε ἐπιτελέα ποιέοντι, καὶ μὴ συγχέοντι, εἴη ἐπαύρασθαι καὶ βίου καὶ τέχνης δοξαζομένῳ παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις ἐς τὸν αἰεὶ χρόνον. Παραβαίνοντι δὲ καὶ ἐπιποροῦντι, τὰναντία τουτέων.“  | Hoc igitur iusiurandum si religiosè observaro, ac minimè irritum fecero, mihi liceat cum summâ apud omnes existimatione perpetuo vitam felicem degere, et artis uberrimum fructum percipere. Quod si illud violavero et peieravero, contraria mihi contingant.   |

<sup>2</sup> ed. Jones 1868. <http://www.perseus.tufts.edu/hopper/text?doc=Perseus%3Atext%3A1999.01.0252>

<sup>1</sup> [https://la.wikisource.org/wiki/Hippocratis\\_iusiurandum](https://la.wikisource.org/wiki/Hippocratis_iusiurandum)

# SCRIBONIUS LARGUS *Conpositiones*

## Praefatio

ed. Georgius Helmreich, *Scribonii Largi Compositiones* Leipzig: Teubner, 1887

### SCRIBONIUS LARGUS CALLISTO SUO S.

Inter maximos quondam habitus medicos Herophilus, Cai Iuli Calliste, fertur dixisse medicamenta divinas manus esse, et id quidem non sine ratione, ut mea fert opinio: prorsus enim quod tactus divinus efficere potest, id praestant medicamenta usu experientiaque probata. Animadvertimus itaque saepe inter deliberationes contentionesque medicorum auctoritate praecellentium, dum quaereretur, quidnam faciendum aut qua ratione succurrendum esset aegro, quosdam humiles quidem et alioquin ignotos, usu vero peritiores, vel—quod fateri pudet—longe summos a disciplina medicinae ac ne adfines quidem eius professioni, medicamento efficaci dato protinus velut praesenti numine omni dolore periculoque liberasse aegrum. Quamobrem spernendi sunt, qui medicinam spoliare temptant usu medicamentorum, non a medendo, sed a potentia effectuque medicamentorum ita appellatam, probandi autem, qui omni modo succurrere periclitantibus student. Ego certe aliquotiens magnum scientiae consecutus sum titulum ex usu prospere datorum medicamentorum multosque ex eadem causa non mediocrem gloriam tulisse memini. Est enim haec pars medicinae ut maxime necessaria, ita certe antiquissima et ob hoc primum celebrata atque inlustrata, siquidem verum est antiquos herbis ac radicibus earum corporis vitia curasse, quia timidum genus mortalium inter initia non facile se ferro <ignique> committebant. Quod etiam nunc plerique faciunt, ne dicam omnes, et nisi magna compulsi necessitate speque ipsius salutis non patiuntur sibi fieri, quae sane vix sunt toleranda. Cur ergo aliqui excludant medicinam usu medicamentorum, non invenio, nisi ut detegant imprudentiam suam. Sive enim nullum experimentum eius generis remediorum habent, merito accusandi sunt, quod tam negligentes in tam necessaria parte <artis> fuerint, sive experti quidem sunt eorum utilitatem, denegant autem usum, magis culpandi sunt, quia crimine invidentiae flagrant, quod malum cum omnibus

animantibus invisum esse debet, tum praecipue medicis, in quibus nisi plenus misericordiae et humanitatis animus est secundum ipsius professionis voluntatem, omnibus diis et hominibus invisi esse debent. Idcirco ne hostibus quidem malum medicamentum dabit, qui sacramento medicinae legitime est obligatus; sed persequetur eos, cum res postulaverit, ut miles et civis bonus omni modo, quia medicina non fortuna neque personis homines aestimat, verum aequaliter omnibus implorantibus auxilia sua succursuram se pollicetur nullique umquam nocituram profitetur.

**Hippocrates, conditor nostrae professionis, initia disciplinae ab iureiurando tradidit, in quo sanctum est, ne praegnati quidem medicamentum, quo conceptum excutitur, aut detur aut demonstratur a quoquam medico, longe praeformans animos discentium ad humanitatem. Qui enim nefas existimaverit spem dubiam hominis laedere, quanto scelestius perfecto iam nocere iudicabit? Magni ergo aestimavit nomen decusque medicinae conservare pio sanctoque animo quemque secundum ipsius propositum se gerentem: **scientia enim sanandi, non nocendi est medicina.** Quae nisi omni parte sua plene incumbat in auxilia laborantium, non praestat quam pollicetur hominibus misericordiam. Desinant ergo, qui prodesse afflictis aut nolunt aut non possunt, alios quoque deterrere negando aegris auxilia, quae per vim medicamentorum frequenter exhibentur. Etenim quasi per gradus quosdam medicina laborantibus succurrit. Nam primum cibus ratione aptoque tempore datus temptat prodesse languentibus; deinde si ad hos non responderit curatio, ad medicamentorum decurrit vim: potentiora enim haec et efficaciora quam cibi. Post ubi ne ad haec quidem cedunt difficultates adversae valetudinis, tunc coacta ad sectionem vel ultimo ad ustionem devenit. At Asclepiades, maximus auctor medicinae, negavit aegris danda medicamenta: quidam enim hoc mendacio etiam pro argumento utuntur. Poteram tamen, si verum id esset, dicere: Viderit Asclepiades, quid senserit; forsitan non omnino in hanc partem animum intendit. Homo fuit, parum feliciter se in hoc negotio gessit. Non deterreor persona, cum rem tam manifeste prodesse videam. Nunc vero cum tam impudenter comminiscantur de eo, quid possum ultra dicere nisi genere quodam parricidium ac sacrilegium eos committere, qui haec**

dicunt? Ille enim febricitantibus vitiisque praecipitibus correptis, quae ὀξέα πάθη Graeci dicunt, negavit medicamenta danda, quia cibo vinoque apte interdum dato remediari tutius eos existimavit. Ceterum in libro, qui παρασκευῶν, id est praeparationum inscribitur, contendit ultimae sortis esse medicum, qui non ad singula quaeque vitia binas ternasve compositiones expertas et protinus paratas habeat. Vides ergo, quam non placeat Asclepiadi usus medicamentorum, cui nisi plura quis ad quodque genus vitii medicamenta composita habeat, non videtur dignus professione medicinae? Sed ista licentia nomine tantummodo medicorum propter quorundam negligentiam latius processit. Raro enim aliquis priusquam se suosque tradat medico, diligenter de eo iudicat, cum interim nemo ne imaginem quidem suam committat pingendam nisi probato prius artifice per quaedam experimenta atque ita electo. Habeant itaque omnes pondera atque mensuras exactas, ne quid erroris in rebus non necessariis accidat: videlicet quia sunt quidam, qui pluris omnia quam se ipsos aestimant. Itaque sublata est studendi cuique necessitas et non solum antiquos auctores, per quos consummatur professio, quidam ignorant, sed etiam comminisci falsa de iis audent. Ubi enim delectus non est personarum, sed eodem numero malus bonusque habetur, <disciplinae ac sectae observatio perit> quodque sine labore potest contingere idemque dignitatis utilitatisque praestare videtur posse, unus quisque id magis sequitur. Sic ut quisque volet, faciet medicinam. Quosdam enim a perverso proposito nemo potest movere et sane omnibus permisit liberum arbitrium magnitudo professionis. Multos itaque animadvertimus unius partis sanandi scientia medici plenum nomen consecutos.

Nos vero ab initio rectam viam secuti nihil prius totius artis perceptione, qua homini permittitur, iudicavimus, quia ex hac omnia commoda nos consecuturos existimabamus, non medius fidius tam ducti pecuniae aut gloriae cupiditate quam ipsius artis scientia. Magnum enim et supra hominis naturam duximus posse aliquem tueri vel recipere suam et unius cuiusque bonam valetudinem. Itaque ut ceteris partibus disciplinae, ita huic quoque, quae per medicamenta virtutem suam exhibet, curiose institimus, eo magis quod percipiebamus in dies ex usu profectus eius, quos interdum supra fidem atque opinionem plurimorum exhibebamus. Sed quid ultra opus



est probare necessarium usum esse medicamentorum, praecipue tibi, qui quia percepisti utilitatem eorum, idcirco a me compositiones quasdam petisti? Ego autem memor humanitatis tuae candorisque animi tui, quem omnibus quidem hominibus plene, mihi autem etiam peculiariter praestas, non solum quas desiderasti, verum etiam si quas alias expertas in praesenti habui, in hunc librum contuli. Cupio enim medius fidius, qua possum, tuae in me tam perseveranti benevolentiae respondere adiutus omni tempore a te, praecipue vero his diebus. Ut primum enim potuisti, non es passus cessare tuae erga me pietatis officium tradendo scripta mea latina medicinalia deo nostro Caesari, quorum potestatem tibi feceram, ut ipse prior legeres simpliciterque indicares mihi, quid sentiret: plurimum enim iudicio tuo tribuo. Tu porro candidissimo animo et erga me benevolentissimo diligentiam meam sub tanti nominis editione non verbis, sed re probasti periculumque non minus tu iudicii quam ego stili propter me adisti, quo tempore divinis manibus laudando consecrasti. Fateor itaque libenter unicas me tibi gratias agere, quod et prius quam rogaveris consummasti amicissimo adfectu vota mea <et> quod contigit mihi favore plenissimo tuo maturiorem percipere studii huius mei fructum ac voluptatem. Ignosces autem, si paucae visae tibi fuerint compositiones et non ad omnia vitia scriptae: sumus enim, ut scis, peregre nec sequitur nos nisi necessarius admodum numerus libellorum. Postea tamen, si et tibi videbitur, ad singula quaeque vitia plures compositiones colligemus. Oportet enim copiam quoque earum selectam haberi, quoniam revera quaedam quibusdam magis et non omnes omnibus conveniunt propter differentiam scilicet corporum. Quarum initium a capite faciemus, summum enim et primum locum hoc obtinet, dantes operam, ut simplicia prima ponamus: interdum enim haec efficaciora sunt quam ex pluribus composita medicamenta. Erit autem nota denarii pro Graeca drachma: aequae enim in libram X octoginta quattuor apud nos, quot drachmae apud Graecos incurrunt. Primum ergo ad quae vitia compositiones exquisitae et aptae sint, subiecimus et numeris notavimus, quo facilius quod quaeretur inveniatur; deinde medicamentorum, quibus compositiones constant, nomina et pondera vitii subiunximus.

[https://www.t-online.de/nachrichten/panorama/id\\_87492038/coronavirus-italien-arzt-berichtet-ueber-dramatische-zustaende-in-bergamo.html](https://www.t-online.de/nachrichten/panorama/id_87492038/coronavirus-italien-arzt-berichtet-ueber-dramatische-zustaende-in-bergamo.html)



# MEDICUS REFERT QUID FACTUM SIT IN URBE BERGAMO

**"Res erupit in bellum, proelia fiunt immisericordia"**

d.11.m.Mart.2020, h.11:01



**Daniel Macchini medicus in nosocomio urbis Bergami curans homines morbo coronae affectos**

*"Cogimur, ut agamus animo prompto": Iosephus Conte praeses ministerialis totam Italiam declarans zonam protectoriam alloquitur civissas civesque. Verbis sequentibus, quibus animus cuiusvis legentis plurimum commoveatur, **Daniel Macchini** Italus medicus describit, quomodo **in Gavazziniano nosocomio Bergamensi** hominibus morbo coronae patientibus superabundanti medici eiusque adiutores labores ingentes exanclent – et quae auxilia sperent sibi allatum iri. Idem est medicus assistens departmenti chirurgici Bergamensis nosocomii Gavazziniani. Ea, quae Daniel Macchini scripsit, nunc per mundum divulgantur: Nam idem non respexit regulas gregis clinici privati ad media socialia spectantes. Daniel describit, quam durum sibi sit ipsi, collegis nosocomisque homines patientes curare in urbe, ubi grassatur virus coronae et solo die Lunae nuntiati sunt 248 homines infecti. Idem medicus ea relatione imprimis appellat homines, ut se gerant responsaliter. Se medicos valere posse tantummodo ad vitam mortemque nonnullarum decuriarum hominum, sed ceteros homines moderate atque considerate se gerendo multo plus posse efficere. Macchinus textum suum publicavit in Prosopobiblio, nonnullae ephemerides Italianae eaundem iam receperunt, etiam medici multarum nationum divulgant hanc relationem Macchinianam. t-online.de eandem hoc loco leviter abbreviatam et theodisce redditam publicat.*

## **Relatio Doctoris Danielis Macchini: Quid fiat de hominibus viro coronae affectis in Bergamensi Nosocomio Gavazziniano.**

»Diu cum deliberassem, conclusi non oportere, ut tacerem. Conor hominibus referre, quae nos Bergami experiamur inter istos dies pandemiae. Intellego necessario studendum esse, ne efficiamus timorem panicum. At horreo audiens homines, qui lamentantur, quod non possint participes esse lusuum pedifollii aut exercitorum gymnasticorum.

Stupefactus observavi, quomodo nosocomium septimana proxima praeterita mutaretur, quando nondum pugnavimus contra hostem, qucum nunc pugnamus: Stationes lente vacuefiebant, actiones non urgentes interruptae sunt, statio intensiva evacuata est, ut loci vacui fierent, quibus lecti apti imponerentur. In andronibus nosocomii factum est silentium et vacuitas surrealis. Exspectavimus bellum imminens, quod quam crudele foret multi, ut ego, nesciverunt.

Recordor, quomodo vicem meam operarum nocturnam degerem exspectans telephonem departimenti microbiologici. Exspectabam resultatum primi casus suspiciosi, qui fuit in nosocomio nostro et deliberabam, quatenam nobis essent evasura ex eodem resultato. Nunc mihi de illa nocte cogitanti illa animi mei commotio videtur paene ridicula.

Nunc condicio nosocomii nostri, ut leniter loquar, est dramatica. Aliud verbum non invenio, quo rem apte describam. Res erupit in bellum, proelia fiunt immisericordia, die noctuque. Homines veniunt in nosocomium acervatim. Qui non habent problemata typica, quae effici solent morbo influentiae<sup>1</sup> temporaria. Biennio, quo hic versor, didici homines Bergamenses non sine causa venire in stationem receptoriam necessitatis. Qui rece se gesserunt, feбри affecti domi manserunt. At nunc non iam possunt respirare, nunc egent oxygenio.

---

<sup>1</sup> **\*influentia**, -ae f. cfr Heinrich HAESER, Lehrbuch der Geschichte der Medicin und der epidemischen Krankheiten, 3.Band: Geschichte der epidemischen Krankheiten, Hildesheim/Zürich/New York (Georg Olms Verlag, editio anastatica editionis, quae est Jena 1882), p.952: „**J. GELPKE**, Diss. De Influentia epidemica, quae Turici et in agro adjacenti grassata est anno 1833. **Turici 1834.** – **M. KRUEGER**, Diss. De Influentia epidemica ann 1833. **Berolini 1834.** – **M. LIEBMANN**, Diss. De Influentia, quae anno 1833 verno tempore Gryphiam tenuit, **Gryphiae 1834.** – **J RADIUS**, De Influentia morbo anni 1833 commentatio. **Lipsiae 1833.** “

## **"Diagnosis semper est eadem: pneumonia"**

Non multa fieri possunt ad hoc virus impugnandum. Plurimum valet corpus ipsum, quos nos tantummodo possumus adiuuare. Nunc urgender egemus lectis in quibus hi homines collocentur. Omnes stationes vacuae velocitate incredibili denuo complentur. Tabulae, quibus nomina hominum patientium sunt inscripta, variis coloribus pro variis unitatibus, omnes sunt rubrae, et diagnosis semper est eadem: pneumonia ambilateralis.

Et cum in mediis socialibus adhuc sint homines morosi, qui se nullo modo timere gloriantes lamentantur, quod sibi - temporarie tantum - non liceat vitam agere more solito, hoc loco fit ingens calamitas epidemiologica.

Nos autem non iam distribuimur in chirurgos, urologos, orthopaedos – nos omnes nunc nihil sumus nisi medici resistere conantes isti undae giganteae, quae se in nos praecipitat. Augetur numerus casuum, cottidie apportantur novi homines eadem de causa patientes. Resultata probationum afferuntur unum post aliud: positivum, positivum, positivum. Subito statio receptionis necessariae est collapsura. Tum normae exceptionis praescribuntur, statio eget collegis nosocomisque additiis. Rapidum fit colloquium, ut novis explicatur programma computatri, paucis minutis post collegae iam adsunt.


Die Lunae medici nosocomique clinici Bergamensis acceperunt vexillum, cui inscripta sunt verba: "Vos estis heroes veri. Honor sit medicis nosocomisque!"

## **"Incredibile est, quomodo id assecuti simus, ut rem nostram dispensaremus"**

In othonio<sup>1</sup> semper apparent eadem symptomata patientium, qui afferuntur: dyspnoe, tussis, temperatura alta. Nonnulli iam debent intubari et immitti in stationem necessitatis. Alii apportati sunt nimis sero...

---

<sup>1</sup> \***othonium**, -ī n. angl. screen; theod. Bildschirm.



Hîc omne respiratrum<sup>2</sup> fit auro pretiosius. Loci respiratorii in oecis chirurgicis fiunt loci curationis intensivae, qui brevi ante nondum fuerunt. Incredibile mihi videtur, quomodo id assecuti simus, ut tam cito, tam concinne nostras operas denuo dispensaremus, ut nos praepararemus ad tantam calamitatem perferendam. Necnon adhuc invenimus ansas, quibus perficiamus quam plurima.

At medici nosocomique sunt fatigati. E vultibus hominum cognoscebam eos esse fatigatos, qui adversus labores maximos non lamentabantur. Vidi omnes una operari summa cum concordia. Nullum vidi, quin iret ad collegam internistam rogantem: »Quonam modo te nunc adiuvere possum?« Vidi medicos munera nosocomorum suscipientes tractanda. Vidi nosocomas lacrimantes, quia non omnes possumus servare. Non iam videntur esse vices operarum, non iam horas. Nobis non iam restat vita socialis degenda.

Per duas fere septimanas voluntarie non iam vidi filium meum meaeque familiae homines, quia timeui, ne illos viro inficiam, praesertim homines natu maiores, qui laborant etiam aliis morbis. Oportet satis mihi sit imago filii mei photographica.

---

<sup>2</sup> \***respīrātrum**, -ī n. angl. *ventilator*; theod. *Beatmungsgerät*; fr. *respirateur artificiel*; hisp. *respirador artificial*; ital. *ventilatore meccanico*

**»Respice homines aetate provectoros«**

Ergo utaris patientia, quod tibi non licet ire in theatrum aut in musea aut in gymnasteria<sup>1</sup>. Coneris respicere omnes illos homines aetate provectoros, quos, si ipse iam v̄iro covidiano infectus es, possis inficere. Audias, quaeso, monita nostra, noli domo exire nisi ad res necessarias comparandas. Dicas hominibus familiae tuae aetate provectoribus aut morbo laborantibus, ut domi maneant. Pro illis ipse emas, quaeso, res emendas.

Quia nobis desunt quaedam materiae, nos et multi collegae adversus quaedam subsidia protectoria exponimur periculis quibusdam maioribus. Itaque nonnulli nostrum, quamvis caverent, tamen v̄iro iam infecti sunt.

At nobis nulla restat res altera eligenda. Hoc est munus nostrum. Id quod facio, non est labor, quem alioquin exanclare soleo, tamen facio libenter. Conor prodesse tibi suadeo, ut hoc quoque facias. Nos medici huius nosocomii effectum habere possumus ad vitam mortemve nonnullorum hominum. Tu recte agendo effectum habere potes ad multo plures. Rogo te, ut hanc relationem per interrete divulges. Oportet hanc relationem divulgare, ut impediamus, ne ea, quae hic accidunt, accidant in tota Italia.«

**Scriptis *Daniel Macchini* medicus Bergamensis, e versione theodiscâ in Latinum convertit Leo Latinus.**

---

<sup>1</sup> **gymnastĕrium**, -iī n. cfr gr. γυμναστήριον (GALENUS 6,186), neogr. γυμναστήριο. angl. health club, fitness centre.



## DE »ALTERA UNDA« MORBI CORONAE MEDICUS RURALIS QUID SENTIAT



**Dr. med. Thomas Fein Frisiae orientalis medicus ruralis.**

*Hôc tempore homines politici et periti qui dicuntur problemata morbi coronae tractantes solent verbis efferre, quam probabilis et quam periculosa sit huius morbi contagiosi »unda altera«. Velim nunc hanc rem ad obrussam exigendam considerare ex parte minus solitâ, id est ex parte medici ruralis, qualis sum.*

*Ex anno 1986 sum medicus approbatus, ex a.1991 in praxi maiore Frisiae orientalis artem exerceo medici ruralis. Cum iter ad plerosque medicos speciales faciendum sit magnum, omnes ferê aegroti, praesertim viis respirandi superioribus infectis laborantes, primo non adeunt medicos otorhinolaryngologos et/aut pneumonologos, sed primo praxin medici domestici. Itaque fieri potest, ut processum morborum contagiosorum observem diligentissimê.*

*Curando assuefactus sum ad observationem quam accuratissimam. Observo, quomodo aegroti ad me efficiant, quomodo se moveant, quales sint eorum vultûs et gestûs et cetera. Audio attentê, quid aegroti narrent de molestiis quas patiuntur.*

*Homoeopathicus medicus cum sim, aliter etiam audio verba aegrotorum ac solent audire medici communes. Necnon didici observare processum morborum, etiam processum morborum contagiosorum.*

*Primo breviter explicabo, quaenam sit differentia inter virologos, velut Dominum Drosten Dominumque Streek, et me ipsum. Dominus Drosten est virologus, qui tractat virus (deque eodem certê multa scit), qui computatro suo elaborat imagines diffusionis viralis contagionisque, quae, ut ipse dicit, conceptae sunt „opinando“, „susplicando“, et in quibus inveniendis dicit esse „cochleas regulabiles“, quae sint valdê sensibiles. Dominus Streek ipse dicit se investigare id quod virus faciat de homine.*

*Equidem de his rebus omnibus nihil scio. At eaedem res ad me medicum aegrotos curantem ratione primariâ nihil valent.*

### ***Quotannis fieri undam influenzae***

*Ex 29 annis, quibus praxin facio medicam, quotannis observo augeri infectiones viarum respirandi superiorum; quale augmentum infectionum solet appellari „unda influenzae“. Haec unda solet incipere mense Novembri Decembrive, altissima est mense Ianuario exeunte vel Februario ineunte, inter mensem Martium lentê mitigatur et mense Aprili exeunte finitur. Semper, omni anno. Homines periti mihi explicant, huius undae efficiendae participia esse varia vîra, cum ceterum tum vîra influenzae, adenovîra, rhinovîra, necnon vîra coronaria. Hoc quoque non valet ad me, quia infectiones virales curantur merâ ratione symptomaticâ. Febris vehemens si est, a me medicamento mitigatur, dolores capitis et membrorum curantur ratione analgeticâ et aegrotis praescribitur, ut parcant corpori suo domique maneant, ne alios homines morbo inficiant. Si necessarium est, addo testimonium inhabilitatis operandi. Mihi non valet singula genera vîrorum subtilitate scientificâ dinoscere, mihi tantummodo valet distinguere infectiones virales a bacterialibus, ut, si agitur de graviore infectione bacteriali, perpendam, utrum necessaria sit therapia antibiotica necne.*



***Epidemiâ influentiae a.2017/18 facultatem nostram laborandi ad limitem adductam esse***

*Hae „undae influentiales“ solent fieri semper eodem modo, unâ exceptâ: Hieme annorum 2017/2018 facultas nostra laborandi ad limitem adducta est. Ista enim unda influentiae gravissima fuit omnium, quas ego tempore muneris mei medicinalis umquam expertus sum. Multi homines influentiâ affecti laboraverunt etiam complicationibus, velut cardialibus. Quidam aegrotus mâne praxin viserat symptomatibus perfrictionis affectus, symptomata a me sunt curata, sed post meridiem îdem homo infarctu myocardii est mortuus, quamvis electrocardiogrammate mâne nihil mali indicatum est. Alter aegrotus meliore fortunâ infarctum vitâ superavit. Tertius cardioplegiâ, id est corde immoto fuit, sed bono cum successu est redanimatus. In periodicis medicinalibus multa sunt relata de hominibus infarctu myocardii inter influentiam mortuis.*

*Fuerunt quoque complicationes pulmonales, non pauci aegroti curandi fuerunt in nosocomio. Tamen etiam ista unda mense Aprili finita est.*

*Hôc autem anno in praxi meâ omnia sunt talia qualia sunt in annis aliis. M. Ianuario et Februario nonnulli, qui nos adierunt, partim per tres quattuorve septimanas aegrotaverunt, partim feбри vehementi affecti, inter quos fuerunt etiam parvuli omnium aetatum. Nonnullos eorum septimanis postquam in morbum inciderunt, probandos curavi determinatione coronae anticorporali. Omnes probae evaserunt negativae. Ergo verisimillimum est eos influentiâ affectos fuisse. Adhuc exspecto primam undam coronae.*

***Me numquam expertum esse undam alteram***

*Undeviginti annis muneris mei medicinalis numquam expertus sum undam influentiae alteram. Interdum mensibus Iunio et Iulio fit quaedam influenza aestiva, quae procedit valdê leniter. Unda influentiae altera (et tertia), quantum scio, usque nunc non descripta est nisi in relationibus de „influentiâ Hispanicâ“ scriptis, quae facta est spatio temporis, quod fuit inter annos 1918 et 1920. Cum illo tempore vîra nondum nôta essent, scilicet nescimus, num ille morbus*

*reverâ fuerit influenza viralis, qualis hodie appellatur. Neque nôta est causa undae illius alterius et tertiae.*

*Perbene autem testimoniis traditis nôta nobis est condicio socialis atque hygienica illius temporis. (vide Humphries/Bystrianyk: „Die Impf-Illusion“, KOPP 2015). Descripta enim est status hygienicus illius temporis calamitosissimus: faecalia fundebantur in aulas posticas et vias publicas, parvulis operandum erat, fatalis erat penuria victualium puraeque aquae potabilis et cetera.*

*Istaec omnia nescio an contulerint ad vehementiam influenzae illius Hispanicae augendam. Illud tempus nullo modo comparari potest cum nostro. Hodie habemus tempora operandi regulata, aquam potoriam puram, defluviorum pertractationem hygienicam, copiam victualium sufficientem, necnon nutritione salubri corporisque exercitiis possumus systema nostrum immunitatis stabilire.*

*Dominus **Sucharit Bhakdi**, collega quem magni aestimo, in colloquio interrogatus („servus-TV“) verbis extulit undam alteram numquam factam esse. Usque nunc nullus homo politicus sive homo rei peritus explicavit, quidnam causae esse, cur ipso hâc tempore ventura esset unda influenzae sive coronae altera.*

***Deprecor, ne lauder ab istis hominibus politicis***

*Ego sum medicus ruralis. Unus ex illis sum, qui laudati sunt ab Angelâ Merkel et Jens Spahn, quia “pugnarent in acie primâ“ et „essent propugnaculum, quo impugnaretur pandemia covidiana“. At ego nolo laudari ab **istis** politicis. **Veto** istos politicos me laudare. Nam isti politici terrorem panicum iniecerunt hominibus aegrotis a me curandis.*

*Hâc tempore magna pars temporis, quod dego unâ cum aegrotis a me curandis, non dego curans homines coronâ affectos (tales habeo nullos). Sed hoc tempus dego eo quod aegrotorum animum tranquillem eorumque timorem leniam. Iisdemque affirmo „undam alteram“ non esse venturam.*

***Mulierem timore coronae adductam mortem sibi conscivisse***

*Unus ex hominibus, qui praxin meam adierant, mortuus est effectu morbi coronae. Mulier quaedam septuaginta septem annos nata timore vîri coronarii adducta mortem sibi conscivit venis insecandis. Profecto fieri non potuerat, ut eius timorem lenirem.*

***Collegas meos aliquid rogo instantissimê:***

*Proxima „unda influenza“ veniet. Hôc anno. Ut omni anno. Si animadverteritis undam coepisse, curate aegrotos more solito: ratione symptomaticâ, phytotherapeuticâ, homoeopathicâ. Fortasse illos etiam curabitis heparino, ut evitentur thromboses, si hoc usque id temporis conveniet cum „statu artis“.*

*At unum hoc rogo, rogo, rogo vos instantissimê: Nolite facere probam coronariam<sup>1</sup>! Istius probae evitandae veniam date, vos precor, vobis ipsis ceterisque huius mundi hominibus.*


***Dr. med. Thomas Fein***

*medicus medicinae generalis  
et homoeopathicae*

---

<sup>1</sup> proba corônâria i.q. Coronatest.

# ECCE VACCINATOR MUNDI



O quanta est ὕβρις istius furciferi zapluti, quantâ megalomaniâ obsessus est iste multimiliardarius! Qui vult sanguini septem miliardarum hominum inicere vaccinum dubium et parum probatum. In Indiâ et in Keniâ iam commisit scelera vaccinatoria. Quis tandem refrenabit Vilelmuli furorem vaccinandi?

Infamissimi autem sunt diurnarii nostri, qui isti nebuloni dant donant dedicant decem minutas nuntiorum televisionis Germanicae, quibus Vilelmulus gloriator ab Ingone adulate sine ullâ quaestiunculâ criticâ verniliter rogatur, ut pangat gloriam vaccinationis suae megalomanicae propagandam. Phu diabole! Non iam habemus diurnarios - Miosgae, Reschkiae, Kleberi, Zamperonii quales sunt nisi miserrimi praecones aulici? Vae tibi, natio poetarum et cogitatorum, vale Lex Germaniae Fundamentalisis! Colloquium cum vaccinatore mundi factum, quod sequitur, cara Lectrix, care Lector, lege et luge.

<https://www.youtube.com/watch?v=083VjebhzgI>

## **Vilelmus (*Bill*) Gates quid dicat de vaccinatione coronariâ**

*D.12. m.Apr. a.2020 in emissione primi programmatis televisionis Germanicae (ARD), locutor nuntiorum, qui est nomine Ingo Zamperoni (IZ) colloquitur cum Vilelmo (Bill) Gates (BG) de eius incepto audacissimo. Īdem enim miliardarius in animo habet septem miliardas hominum vaccinare, ne incidant in morbum coronarium sive potius covidianum.*

**IZ:** Bonum vesperum, Domine Gates!

**BG:** Bonum vesperum.

**IZ:** Usque nunc vīrus coronae durissimê vexavit terras industriales, quales sunt Europa, America septentrionalis, China. Quales effectūs putas idem vīrus habiturum esse ad terras pauperiores, minus excultas, quales sunt Africanæ?

**BG:** Doleo quod verisimillimum est portionem contagionis in terris egentioribus fore etiam maiorem necnon multo maiorem numerum mortuorum. Systemata valetudinis in his terris minus bene exculta sunt. Itaque ibi aegroti minus bene adiuvari possunt, ibidem sunt pauciora instrumenta respiratoria. Inde consequitur effectum iri portionem mortalitatis maiorem. Etiam facultates quarantenam dispensandi, homines insulandi multo pauciores sunt, si homines habitant in aliquâ tuguriopoli<sup>1</sup> neque possunt, quin exeant, ut operentur ad victum quaeritandum. Itaque in terris subevolūtis numerus hominum vīro infectorum adhuc est relativê parvus, sed secundum omnia, quae usque nunc experti sumus, verisimile est mensibus proximis futuris epicentra epidemiae fore in illis regionibus egentioribus.

**IZ:** Ergo aspera sunt exspectanda. Terrae ut hanc difficultatem superent oportet mutuo se adiuvent, sed pleraeque animum maximê

---

<sup>1</sup> \*tuguriopolis, -is f. i.q. anglicê *slum*.

attendunt ad subsidia calamitatis curandae nationalia. Limites sunt clausi, litigatur de materiis adhibendis, iam certatum est de instrumentis medicinalibus pretio maximo emendis, immo intra ipsas terras saepe non facta sunt conventa satis commoda. Tales difficultates si iam sunt in singulis regionibus, quam efficaciter possumus superare discrimen imminens in toto orbe terrarum?

**BG:** Et ego et alii iam a.2015 declaravimus fieri posse ut erumperet talis pandemia qualis nunc est, et quamquam locuti eramus de calamitatibus, quae effici possent, nisi habituri essemus facultates diagnosticas satis celeriter parandas et medicamenta et vaccina, his rebus declaratis nostris, id quod doleo, non factae sunt necessariae praeparationes. Itaque nunc omnes agunt penuriâ temporis coacti et quadamtenus conantur calamitatem superare. Inde efficiuntur penuria atque angustiae rerum, dissentitur de ordine rerum agendarum; quibus tota res fit perdifficilis – etiam si agitur inter nationes. Nunc, ubi homines incipiunt aliquatenus assuefieri ad quarantenam, quamquam hoc scilicet sit valdê molestum, iidem etiam incipiunt deliberare, quomodo accedant ad medicamenta, quibus sanetur morbus coronarius. Quonam modo quam celerrimê possumus fabricare vaccinum?

**IZ:** Ad vaccina tractanda mox sumus venturi. Primo autem hoc te interrogem: Quid tibi videtur de modo, quo *Trump* praeses tuus tractat pandemiam? Qui recusat, ne merces afferantur in Canadam terram vicinam, conatur emere germanicas negotiationes medicinales atque pharmaceuticas eqs.

**BG:** In Civitatibus Unitis modo experimur hominum morbo coronae mortuorum numerum horrendum. Quare Americanis exortae sunt magnae difficultates. At affirmo tibi esse quosdam gubernatores singularum Americae civitatum, qui officia sua fideliter praestent. Sunt autem multa exempla bona gubernatorum, qui inter se unus ab altero discant. Aliquando, si morbi crisis erit superata, licebit perscrutari, quae facta sint mensibus Ianuario et Februario. Num oportuit gubernationem Civitatum Unitarum magis perspicuê declarare, qui ordo probationum coronariarum esset adhibendus? In praesenti praestat nos nihil facere nisi mutuo adiuvere.

**IZ:** Magis magisque patet adversus omnes labores iam exanclatos nos pandemiam non superaturos esse nisi fabricaverimus vaccinum. Qui gradûs in hac viâ procedendi nunc sunt gravissimi?

**BG:** Novum vaccinum non solet perfici nisi spatio quinque ferê annorum. Tale vaccinum primo necesse est fabricetur, deinde probetur, num ullo modo fieri possit, ut noceat hominibus vaccinandis. Denique hîc excluso probandum est, num vaccinum sit satis efficax. Machinamenta industrialia, quibus vaccinum fabricatur, non solent construi antequam usus substantiae indubius eiusque efficacia sunt confirmatae. Nos nunc studemus hoc spatium temporis deminuere ad duodeviginti ferê menses. Si omnia feliciter fient, fortasse etiam celerius vaccinum perficiemus. Ex eo, quod planiforma acidi ribonucleinici nunc celeriter excolitur, ut fabricatio eiusdem simplicior fiat, licet bene sperare. Sanê haud facile est praestare medicamento alicuius et efficaciam et innoxietatem. Vaccina saepe non satis apta sunt ad homines aetate provectoros ita adiuvandos, ut fiant immunes a morbo – et hoc est praestantissimum in hac re – homines vetustos reddere immunes! Si efficacia alicuius vaccini probata est, cavendum est, ne deminuat huius substantiae innoxietas. **Nos vaccinum a nobis fabricandum denique exhibebimus septem miliardis hominum. Itaque nobis non licebit difficultates accipere effectibus secundariis imminentibus.** Tamen de novo vaccino adhibendo minore copiâ valorum datorum usi decernemus, ut progrediamur quam celerrimê. Ergo oportet nos adiuvere octo vel maximê decem candidatos fabricatores, qui sunt spei maximae, construere machinamenta productionis apta, investigare, quomodo probemus vaccini innoxietatem, et haec omnia fieri non poterunt nisi quadam cooperatione globali. Fundatio nostra in hac re assequendâ multum valet, nam nos sumus maximi fautores vaccinatorum necnon curamus etiam terras subevolutas. Valdê commoveor eo quod nunc ubique terrarum homines loquuntur de novis medicamentis inveniendis, non solum fabricatores vaccinatorum, quibus nomina sunt *Moderna, Inovio, Sanofi, Novavax* eqs. Ad talia medicamenta fabricanda oportet pecuniam erogare.

**IZ:** Apparet te sperare fieri posse, ut duodeviginti mensibus transactis vaccinum praesto sit. Si ita, nonne necesse erit nos omnes rationes



illas agendi, quibus adhuc utimur ad vîrus coronae impugnandum, retinere intra totum spatium temporis interiectum, id est per minimum unum annum et dimidium?

**BG:** Spero fieri posse, ut aestate nobis liceat saltem nonnullas partes vitae publicae denuo aperire. **At absolutê tibi assentior: ad solitam vitam cottidianam demum regredi poterimus, si aut invenerimus remedium mirabile, quo aegroti sanentur in nonagesimis quinibus centesimis omnium casuum partibus aut si fabricaverimus vaccinum.** Itaque spatium temporis percurremus, quo continuo nobis deliberandum erit: Num licet scholas denuo aperire? Verisimile est magna stadia athletica mansura esse clausa. Simul necesse erit probas coronarias continuare, ut sciamus, quo loco numerus infectionum augeatur. De multis enim rebus nondum certo scimus, e.g. nescimus, quantum valeant tempora anni et quatenus iuvenes quoque participes sint viae infectionis. Ergo rectum est nunc disputare, quomodo lentê possit aperiri, quamquam in plerisque terris a tempore aperiendi adhuc absumus spatio unius mensis et dimidii.

**IZ:** Licet sint multi parati ad cooperandum – nonne times, ne de vaccinis pugnetur – ita ut iam pugnatum est de mascis protectoriis?

**BG:** Europaei in vaccinatorum sumptibus solevendis semper fuere valdê liberales – e.g. Germania magnam partem particeps est ipsius GAWI, organizationis, quae curat vaccinum ad omnes terras subevolutas rectê transportandum. Deinde si ad omnes officinas aedificandas decernemus, ubi easdem aedificemus et videbimus, quis nobis concedat subsidia pecuniaria – si communiter pecuniam solvemus ad vaccinum fabricandum, id curabimus, ne solae eae terrae, in quibus officinae sunt, vaccina possint accedere adhibenda, sed praesertim eae, in quibus vaccinum quam urgentissimê est necessarium. Processus temporis fabricatio vaccini tanti augebitur, ut omnes homines in nostro planetâ eodem possint vaccinari.

**IZ:** Post pandeminam mundus non erit îdem ac ante. At quas res sentis mutatum iri?

**BG:** Equidem puto homines illam monitionem, quâ diximus diligenter praeparandum nobis esse ad proximam pandemiam impugnandam, nunc certê comprobata secuturos esse. Proximâ vice certê melius praeparati erimus diagnosibus celeribus, vaccinis, medicamentis. Planiformae autem, quibus haec fieri poterunt, etiam utiles erunt ad morbos iam nôtos sanandos. Quaerimus vaccina acidi ribonucleinici ad omnes morbos contagiosos praecavendos. Quae ad eosdem impugnandos valde utilia fore verisimile est. Post hanc crisin consuetudines nostrae mutabuntur. Fortasse multas res faciemus viâ interretiali, quia nunc cogimur, ut hanc viam ingrediamur. Spero fieri, ut postea nobis liceat dicere: ‚Nos hoc unâ assecuti sumus’. Necnon ut celebrare possimus illos homines, qui in re sanitariâ more heroico operantes in aleam dant propriam valetudinem et homines, qui hôt tempore vitam degerunt insulati et certae spei expertes. Liberos, qui amiserunt tempus eruditionis scholaris pretiosum. Dolendum est, quod in plerisque terris in ipsis familiis egenioribus fieri non potest, ut liberi discant ratione interretiali, ideoque distantia augetur inter facultates eruditionis meliores et peiores. Oeconomia nobis erit restauranda post crisin, post omnia ista traumata, quae homines erunt perpassi. At spero hôt discrimine rerum factum iri, ut magis appropinquemus hominibus, qui sunt circa nos aliisque, qui sunt extra terram nostram ubique terrarum. Etiam post alterum bellum mundanum incolae mundi – aut saltem magna eorum pars – aliquatenus inter se reconciliaverunt. Dolendum est, quod nunc quoque mutatio rerum fit dramatica. Modus agendi noster multis in rebus mutabitur. Spero etiam nos non pandemiae causâ oblituros esse alias res, velut climatis mutationem, quae etiam egent cooperatione nostri et multâ innovatione.

**IZ:** Domine Gates, multas gratias tibi agimus.

**BG:** Gratias ago tibi.

<https://www.youtube.com/watch?v=DxzMpNoZOL0>

## **Vilelmum Gates praedari Germaniam!**

3. 056. 370 usores accliccaverunt!

Hodie, d.4. m.Maii a.2020, fit conferentia quae dicitur datoria. Res publica Germaniae foederalis a Merkeliâ dicitur data esse „symbolam substantialem“. Ut clarius dicamus: Merkeliâ cives rogat, ut claudant lacunam pecuniariam octo miliardarum Euronum. Quae pecunia adhibebitur ad vaccinum contra vîrus covidianum-19 inveniendum et fabricandum, quod deinde incietur septem miliardis hominum. Sive volent sive nolent. Merkeliâ hîc modo ad effectum est adductura inceptum Organisationis Valetudinis Mundanae (WHO), quae reverâ non regitur a civitatibus mundi, sed a *Vilelmo* et *Melindâ Gates*.

Par coniugale Gatesianum magnam partem symbolarum cum det Organisationi Valetudinis Mundanae fovendae, praescribit, quae remedia adhibeantur ad valetudinem ubique terrarum fovendam. Gatesius cum magni faciat vaccina, eadem ut adhibeantur maximê studet multimodis. Īdem miliardarius ubique emit partes institutionum, quibus foveri possit inceptum suum vaccinandi. Ipsa GAVI, id est Globalis Alligatio Vaccinorum et Immunificationis septuagenas quinas partes centesimas symbolarum accipit a Fundatione Gatesianâ. Institutum Roberti Koch pecuniam accipit a Gatesio. Etiam Christianus Drosten Berolinensis Nosocomii Caritatis virologus pecuniam accipit ab eodem miliardario. Etiam Universitas Hopkinsiana. Etiam periodica, quae sunt Speculum Hammaburgense („Der SPIEGEL“) et Tempus („DIE ZEIT“). Necnon pleraeqe negotiationes, quae investigare student vaccina contra vîrus covidianum exhibenda, a Fundatione Gatesianâ „adiuvantur“. Quarantena rei publicae numquam praescripta esset sine „consultoribus“ in recessu agentibus, qui a Gatesio pecuniam acceperunt neque finietur nisi Gatesio permittente. Habemusne democratiam? Nequaquam! Merkeliâ studet quam festinantissimê obligatoriam facere syngrapham immunitatis, cum simul probationes,

quae usque nunc necessariae fuerunt ad medicamenta in Germaniâ permittenda, vehementer abbrevientur. Agitur de obligatione vaccinatoriâ per ostium posticum introducenda. Qui non passus erit se vaccinari contra morbos, quos praescribit Organisatio Valetudinis Mundana, id est Vilelmus Gatesius, privabitur partibus iurum suorum fundamentalium gravioribus. Neque gubernatio Merkeliana studet evitare detrimenta medicamentis parum probatis effecta. Haec omnia non fieri possent, nisi Merkelia magnas partes l gis fundamentalis sustulisset, e.g. articulum 8. Is qui manifestans remediis Merkelianis coronariis resistit, ab astyphylacibus aditur, quia transgreditur legem protectionis infectionariae. Qui inter manifestationem librum l gis fundamentalis ostendit spectandum, in manicas ferreas conicitur, quia dicitur diffundere politicum nuntium illicitum. Num lex fundamentalis est nuntius politicus illicitus? Qui nunc non surgit, expergiscet in dictaturâ. Egemus commissione criminalis investigationis coronariae; eandem autem non accipiemus nisi in viâ manifestaverimus quam vehementissim . Condicio nunc valet aliquatenus similis illi, quae fuit anno 1989; agamus, homines politicos corruptos e muneribus suis fugemus eosdemque in ius vocemus. Nos sumus superanus. Fundamentum nostrum est lex fundamentalis. Defendamus hoc fundamentum contra illos, qui in praesenti conantur legem fundamentalem abicere ad purgamenta historiae. Sub praetextu valetudinis protegendae. Non est maius periculum valetudini imminens quam dictatura. In dictaturâ civi vis affertur a gubernatione. Utinam moneamur histori  Germaniae! Qu  obligamur, ut resistamus secundum articulum 20 l gis fundamentalis!

**Scriptis KEN JEBSEN in Latinum convertit LEO LATINUS**

### **Fontes:**

Startschuss f r WHO-Initiative <https://www.bundesregierung.de/breg-d...>

Entwurf eines Zweiten Gesetzes zum Schutz der Bev lkerung bei einer epidemischen Lage von nationaler Tragweite <https://www.bundesgesundheitsminister...>

Um ein Drittel verrechnet: Merkel und Spahn nannten falsche Infektionszahlen <https://www.gmx.net/magazine/politik/...>

Unabh ngigkeit der Weltgesundheitsorganisation gef hrdet Was gesund ist, bestimmt Bill Gates <https://www.deutschlandfunkkultur.de/...>

Gates' globaler Impfstoff-Plan <https://www.zeitpunkt.ch/gates-global...>

Der Impfsktivismus der Gates-Stiftung <https://multipolar-magazin.de/artikel...>

"W re ich B rgerin von Deutschland, ich w re schrecklich stolz" <https://www.sueddeutsche.de/wirtschaft...>

 ber Impfstoffe zur digitalen Identit t? <https://www.heise.de/amp/tp/features/...>

"Inder wollen keine Versuchskaninchen mehr sein" <https://www.spiegel.de/wissenschaft/m...> Bill Gates mit 20 seiner verr terischsten Aussagen in 3 Minuten! Impfungen & Bev lkerungsreduzierung <https://www.youtube.com/watch?v=IdxBN...>

Gates zahlt an SPIEGEL & ZEIT <https://www.heise.de/tp/features/Uebe...>

## CHRONICON FURORIS CORONARII GERMANICUM



### ORATIO PROFESSORIS STEFANI HOMBURG OECONOMI D. 09. M. MAII IN PRATO CANNSTATTENSI HABITA

<http://www.pi-news.net/2020/05/jetzt-live-corona-demo-vom-cannstatter-wasen-in-stuttgart/>

1:21:40 h – 1:46:55 h

**Salvete, Dominae Dominique,**

iam apud vos introductus sum. Non sum membrum huius organisationis. Pro nullâ parte politicâ loquor, mei iuris sum neque pro ullo homine loquor nisi pro me ipso. Fortasse animadvertistis me modo manum sustulisse, cum rogaretur, quisnam ab aliis dictus esset *gestor petasi aluminiati*<sup>1</sup>, id est *theoreticus conspirationis*<sup>2</sup>. Hoc feci, quia ex septimanis in interreti mediisque diurnariis sine pausâ laedor nominibus increpatoriis, quae sunt *theoreticus conspirationis* et *gestor petasi aluminiati*, nullâ aliâ causâ nisi quod praebeo numeros publicê accessibiles. Verbi gratiâ nunc potestis legere ea quae *Lauterbach*

<sup>1</sup> *gestor petasî \*alūminiātī* i.q. theodiscê *Aluhutträger*

<sup>2</sup> *theoreticus cōspīrātiōnis* i.q. theodiscê *Verschwörungstheoretiker*.

Conventûs foederalis legatus de me friguttivit<sup>1</sup> malevolê – îdem postquam proposuit, ut scholae clausae tenerentur usque in proximum annum futurum, me contemptim vituperans affirmavit cum medicus non essem, me nescire aliquid aptum de hac re dicere. Equidem, Dominae Dominique, non sum medicus neque hîc loquor de problematibus medicinalibus. Loquor autem hîc de tanto scandalo scientistarum et diurnariorum et politicorum, quantum fieri posse ne somnio quidem umquam suspicatus eram. Interim in Germaniâ valdê mutatus est affectus animorum. Nos hodie possumus sententiam nostram manifestare. At in initio cum surgerem insaniam coronariam impugnaturus, affectus animorum hîc fuit omnino alius. Commonitus sum verborum illius *Idi Amini* Ugandensis dictatoris, qui dixit: „*Concedo libertatem sermonis, sed sermone facto libertatem non concedam!*“ Talis enim fuit affectus animorum et sincerê vobis confiteor uxorem meam ante quattuor septimanas me monuisse et rogasse, ne quae haberem colloquia interrogatoria.

Nunc breviter comprehendam ea quae his duobus mensibus proximis facta sunt.

Primo, medio mense Martio, sensus a politicis effectus, secundum quem vîrus coronae non esse periculosum putabatur, in contrarium conversus est. In colloquio meo cum *Milenâ Preradovic* in planiformam *youtube* recepto invenietis ligamen<sup>2</sup> ad radiotelevisionem Bavaricam pertinens, quod, quaeso, accliccetis<sup>3</sup>. Nam eodem ligamine usi adducemini ad emissionem televisificam, in quâ dicitur – eo tempore, quo praeses ministerialis vult curare saturnalia celebranda – dicitur: „Is qui contendit Coronam esse periculosam, est theoreticus conspirationis partis politicae dextrae!“ Haec verba radiotelevisio Bavarica ante octo ferê septimanas emisit, ut adiuvaret praesidem suum ministerialem, quia is putavit finibus suis politicis opportunum esse saturnalia celebrare, quo in Bavariâ effectae sunt multae infectiones. Postquam politici se converterunt ad sententiam contrariam, diurnarii quam properantissimê hanc conversionem sententiae sunt secuti, et nunc omnis qui dicat: „Corona non est tam

---

<sup>1</sup> **friguttîre** i.q. anglicê *to twitter*.

<sup>2</sup> **ligâmen** (interretiale) i.q. anglicê *link*.

<sup>3</sup> **accliccâre**, -ô, -âvî, -âtum alqd. i.q. anglicê *to click on*.

periculosa“, habetur pro „theoretico conspiracy partis politicae dextrae!“

Equidem illo tempore, Domae Dominique, studui certior fieri, vîrus Coronae reverâ quam periculosum esset. Non sum, ut iam dixi, medicus, sed scientista cum sim, scio cognoscere sententias doctorum litterasque scientificas legere. Primo quaesivi, quisnam in hac provinciâ scientiarum esset investigator omnium probatissimus. Īdem autem est *Professor John Ioannides* in Universitate Stanfordinâ docens, cuius citationes googleanae sunt 250.000, id est Ioannides est omnium scientistarum citatissimus.




**Prof. John Ioannides**

*John Ioannides* d.17. m.Mart. publicê dixit hanc quarantenam generalem (*lockdown*) quia non esset ipsâ ex evidentiâ derivata, evasuram esse calamitosissimam. Eandem sententiam in Germaniâ protulit *Dr. Volfgangus Wodarg*, qui per longum tempus fuerat director medicinalis. Dominus Dr.Wodarg, legatus partis politicae Germaniae socialistarum democraticorum illo tempore praepositus „*Transparentiae Internationalis*“, d.10. m.Mart. theses suas dicturus in emissionem „*Frontal*“ est invitatus, ubi gessit partem sibi destinatum dicens Coronam non esse periculosam. At cum post duos dies gubernatio et foederalis et provincialis sententiam mutarent, in omni periodico maiore, velut in „*Stern*“, „*Spiegel*“, „*Zeit*“, symbola



est edita, in quâ Volfgangus Wodarg nuntiatus est reverâ esse praestigiator fraudulentus. Ex illo autem tempore symbola Wodargii Wikipediana deformatur eiusque fama ignominiosê obscuratur, quamquam Volfgangus Wodarg, Dominae Dominique, iam ex ipso initio rectê praedixerat hanc rem non fore periculosam.



**Dr. Volfgangus Wodarg**

[https://www.youtube.com/watch?v=p\\_AyuhbnPOI](https://www.youtube.com/watch?v=p_AyuhbnPOI)

Tertium virum rei valdê peritum vobis affero *Professorem Sucharit Bhakdi*, qui docuit in Universitate Moguntiacensi.




**Prof. Sucharit Bhakdi**

Multi vestrum noverunt eius colloquia interrogatoria. Legatis, quaeso, etiam eius librum de morbis contagiosis scriptum, qui non solum est

doctissimê scriptus, sed etiam, quod antea fieri non posse falso credideram, etiam perfacetê et perutiliter. Hunc librum vos legere necessarium est, ut sciatis de re iudicare. Dominus Professor Bhakdi item dixit totam timoris panici effectiorem esse absurdam! At nemo illorum centum viginti hominum huius mundi medicinae peritorum, qui omnes dixerunt nuntios de periculis Coronae terrificos esse exaggeratos, immo nihil valere – nemo illorum (a gubernatione) est auditus.



**Prof. Christian Drosten**



**Prof. Alexander Kekulé**


Pro eo, ut illos audiret, cancellaria nostra foederalis statum scientiarum nullo modo respiciens duos scientistas adiit, qui in Germaniâ iam anno 2009 (*quo ab Organisatione Valetudinis Mundanâ declarata est pandemia influentiae porcina, ut a multis nationibus vaccinum emeretur, quo ille morbus levissimus non curaretur, sed nonnullis in casibus effectûs secundarii efficerentur graviores*) se gesserant ratione dubiâ atque obscurâ. Adhuc legere

potestis verba Domini *Christiani Drosten Dominique Alexandri Kekulé* anno 2009 monentium, quam periculosa esset influenza porcina, immo *Alexander Kekulé* a.2009 postulavit, ut scholae clauderentur. Postea influenza porcina inventa est morbus levissimus, quo nullum immineret periculum, sed, Dominae Dominique, magnis copiis vaccini superflui atque noxiosi emptis damna facta sunt magna. Terrae foederales, inter quas etiam fuit vestra Badenia-Virtembergia, diurnariorum fabulis terrificis atque exaggeratis tam vehementer commotae sunt, ut solverent centenos miliones ad emenda vaccina dubia atque obscura. Plerique autem cives suspicione adducti eadem vaccina cum respuerent, postea magna pars vaccinatorum sumptuosorum abiecta est ad purgamenta.

Iterum quam brevissimê sequamur chronologiam rerum factarum. Mense Martio exeunte gubernatio, quibuscumque de causis, sententiam suam convertit in contrarium. Deinde d.9. m.Mart. renuntiantur conventûs publici maiores, d.16. m.Mart. scholae clauduntur. Deinde d.23. m.Mart. quarantena generalis declaratur pro totâ terrâ. Nonnullis diebus post cancellaria foederalis in privatâ emissionem radiophonicâ suâ interretiali dicit quarantenam generalem sublatum iri, si spatium duplicationis fuisset decem diebus propinquum. Hoc autem brevi iam post cum fiat, ex officio cancellariae foederalis declaratur novum decretum: ‚Melius esse spatium duplicationis quattuordecim dierum, hoc esse securius.‘ Sed etiam hunc finem iam mox assecuti sumus. Deinde – et nunc reverâ res fit mirê obscura – gubernatio foederalis argumentationem suam funditus mutans spatio duplicationis ommissio declarat nos finem esse assecuturos, si  $r$  numerus numquam antea commemoratus minor fuisset quam unum.

Usque ad hunc diem, Dominae Dominique, equidem intra me cogitaveram: ‚Ah istud nihil est nisi mala ratio politica et error politicus, qualem iam saepius expertus sum.‘ At s.15. m.Aprilis sententiam meam funditus mutavi. D. enim 15. m.Aprilis praesides ministeriales convenerunt cancellariam foederalem. Omnes in promptu habuerunt diagramma, cui infuit iste numerus  $r$ . Omnes viderunt valorem  $r$  non solum minorem esse quam unum, sed Germaniam iam pridem hunc finem assecutam esse, immo iam ante

decretum quarantena generalis esse assecutam, ita ut illo momento temporis omnis homo qui non esset mente captus, clarê cognosceret:



„Nos erravimus’ et ego exspectavi d.15. m.Apr. praesides ministeriales et cancellariam foederalem dicturos esse: ‚Quarantena generalis tolletur’. At hoc non fecerunt. Et ex illo tempore aliter cogito de hac re. Non iam agitur de vestrâ valetudine tuendâ. Hoc nihil est nisi terroris panici iniectio, sed mihi persuasum est nunc quarantenam retineri fine sui ipsius. Id quod gubernatio ex d.15. m.Apr. facit, non facit valetudini curandae, sed me commonet dystopiae illius, quam vidimus in cinemateo<sup>1</sup> – cuius titulus est „Tributa Panemiana“<sup>2</sup> – et equidem hanc quarantenam video quodammodo esse similem illis ludis esurialibus. Omni autem die in Germaniâ nova penduntur tributa, quarantênâ generali absurdâ, quâ omni die centum negotiationes decoquant ibidemque loci operandi amittantur. Si politicis restat aliquantulum sanae mentis, nunc tandem tollent quarantenam generalem neque pergent introducere etiam nova remedia inepta, velut istam mascarum obligationem, quae est absurdissima.

<sup>1</sup> \*cīnēmatēum, -ī n. i.q. anglicê *cinema*.

<sup>2</sup> **Tribūta Panemiāna**, titulus theodiscus “Die Tribute von Panem”, originaliter “The Hunger Games”, i.e. Ludi esuriales.

Infectiones cum essent frequentissimae – mense Martio ineunte, septimanis interiectis factae sunt istae diagnoses et casûs mortium. Mense Martio ineunte, i.e. tempore pessimo, institutum Roberti Koch dixit: ‚Ratione valetudinis non est commendabile mascas gerere’. At nunc, postquam unda infectionis magnam partem superata est numerusque casuum in dies deminuitur, subito praescribitur, ut omnes gerant mascas. Cogito ex hęc casu civem communem concludere ibidem (in isto instituto) agi magnâ cum licentiâ. At si accuratius rem consideraveritis, Dominae Dominique, cognoscetis rem etiam multo peiorem. Nam – et hęc tantum loco rem tracto medicinalem, sed nihil nisi aliquid omni homini, qui abiturium superavit intellegibilem. Medici distinguunt inter infectionem et morbum. Una res ab alterâ eo differt, quod morbus insignis est symptomatibus. At Institutum Roberti Koch id singulariter assecutum est, ut infectionem vîro quodam factam, quae a multis hominibus infectis omnino non animadvertitur – ita explicaret, quasi esset morbus covidianus 19! Ita vero, omnes istae statisticae sunt mendosae: Non enim agitur de morbo, sed tantummodo de infectione! Si nunc quaeritis, Dominae Dominique ‘Quidnam nobis faciendumst hęc problemate cognito?’ – equidem sentio vos cives multa posse facere. Iam ipsa haec manifestatio est omnino laudabilis. Simul fiunt multae manifestationes aliae. Sed si vobis persuasi, ut credatis theses meas esse veras, velim vos adhortari ad duas alias actiones. Primo: Quamcumque partem politicam elegistis, scribite ad legatum vestrum. Telephonate cum legatis vestris. Explicate iis vos non iam electuros esse hominem politicum, qui comprobet quarantenam generalem.

**Altera** autem **res** haud minus valet: Etiam in hac plateâ hodie certê congregatae sunt familiae non completae, quia saepe homines eiusdem familiae participes de rebus coronariis inter se dissentiunt. Itaque multum valet hoc: Colloquimini cum amicis et cum hominibus vobis nôtis, conamini argumentis numerisque illis persuadere ingens scandalon effectum esse eo quod hominibus fraudulenter iniectum esset timor panicus periculo morbi coronarii verbis falsis exaggerato. Huius scandali causas praecipuas eas esse sentio, quae sequuntur:

- **Scientistae**, qui magnam partem sunt corrupti. Fortasse scitis Dominum Drosten eiusque retificium nunc a ministerio foederali –

ultra - 150 miliones euronum accepisse, cum alii scientistae scribendo digitos suos vulnerent, ut a Communitate Investigationis Germanicâ, quae est institutio independens, post annum fortasse accipiant 400.000 (quadringenta milia) euronum.

- Causa scandali altera sunt **diurnarii**. Qui magnam partem coordinati<sup>1</sup> omnes eodem modo studuerunt hominibus inicere timorem panicum. Īdem autem modus timoris iniciendi, Dominae Dominique, quod doleo, usque nunc etiam adhibetur. Afferam vobis exemplum. Dominus *Söder* his diebus iterum iterumque dictitabat: ‚Nos non possumus quarantenam generalem tollere, quia Singapurum eandem nimis maturê sustulit. Deinde autem illuc vênit unda (morbi coronarii) altera.’

At omnis vestrum in interreti potest – sine nomine dando, sine pecuniâ dandâ – aspectare *worldometers*; quibus aspectis nullam inveniet undam coronae alteram Singapuriensem. Nam talis non exstat.

Equidem exspecto diurnarios non simpliciter blaterando ea repetere, quae gubernatio declaravit. Oportet diurnarium ipsum interrete inspicientem investigare, num Singapuri in urbe fiat unda altera morbi covidiani. Si autem videt ibidem nullam esse undam, oportet ĩdem diurnarius in commentario suo vituperet verba Söderiana falsa eademque corrigat. Sed diurnarius hoc non facit. Series nuntiorum gubernationis foederalis falsatorum nos per septimanas persecuta est. Multi hos nuntios crediderunt, quia nihil aliud viderant nihilque aliud legerant. Ceterum difficile est nunc priorem modum nuntios recipiendi recuperare.

Ultimam adnotationem audiatis, Dominae Dominique – nec dicam hoc cum sale nigro. Tota ista res coronaria mihi scientistae attulit quoddam commodum eo quod intellexi rem antea mihi semper non intellegibilem. Prius enim numquam intellexeram, quidnam in Germaniâ factum esset annis saeculi proximi praeteriti tricenariis. At nunc - quod dolendum est – vidimus quam fragilis esset ordo noster democraticus, et quam celeriter omni tempore similis res ac illis annis tricenariis facta sit, iterum fieri possit. Illo enim tempore, Dominae Dominique, hominibus dictum est: ‚Germani sunt populus territorii expers’. Quamquam illo tempore Germania dimidiam tantum partem

---

<sup>1</sup> *coordinātus*, -a, -um i.q. theodiscê *gleichgeschaltet*.

habuit numeri incolarum hodierni. Insania et vesanitas! At talibus fabulis fictis cives commoti sunt, ut comprobarent, quod Germania impetum fecit in Poloniam et Francogalliam. Hodie hominibus narrantur fabulae horridae de viro coronae, quas argumentis refutare possem per integras horas, si vacarem, et homines istas fabulas credunt et parati sunt quarantenam libertatisque deminutiones comprobare, immo partem gerere vigiliam alios homines denuntiantium, eqs. Astyphylaces autem, Dominae Dominique, hōc tempore – partim – adulescentem solum sedentem, qui in bisellio viridarii librum legebat, secum abstraxerunt, et matrem Germanam cum ternis liberis e Megalopoli-Praepomeraniâ expulerunt, quia alteram sedem habuit in Francogalliâ, et birotarium Hammaburgensem impediverunt, ne litem transveheretur Slesvigi-Holsatiae. Iura libertatis fundamentalia, velut ius omnis Germani se in territorio Germaniae liberê se movendi, a gubernationibus provincialibus decretisque incertis ablata sunt et nemo iura sua defendit – quod vix fieri potuit, quia etiam manifestationes erant vetitae.

Si anno 1939 – et ista res mihi videtur esse una ex pessimis omnium – si anno 1939 iam fuissent televisoria spectacula colloquiarum, in eadem, ut species multipliciter opinionum praetexeretur, invitati essent homines, qui opinarentur ‚Poloniam nobis nunc esse aggrediendam‘ et homines, qui opinarentur ‚non solum Poloniam, sed etiam Francogalliam nobis esse aggrediendam‘. Sed homines, qui opinarentur melius esse pacificê convivere cum vicinis nostris, non essent invitati. Hodie agitur ipsa res eadem: Sub praetextu multipliciter opinionum participes spectaculorum colloquiariorum invitantur homines, quorum opiniones sunt varii gradus variaeque intensitates insaniae coronariae, sed is, qui isti insaniae verê reclamaret et resistit, velut Dominus Dr. Wodarg, post 10. diem m. Martii non iam est invitatus.

**Adnotatio finalis:** Ubi primum Germani maiorem partem intellexerunt, quam vehementer fraudati essent – hoc facillimê cognoscatur e numeris, non est necessarium de hac re in utramque partem disputare – fortasse plerique dicent ferê hoc: ‚Tota classis politica nos fraudavit, omnes isti politici sunt fugandi!‘ Hoc ne credatis, – non, hōc loco nolo audire applausum vestrum, quia talem



sententiam falsam esse cogito – ut modo dixi de astyphylacibus, eos quoque esse cives et familias habere et ipsos esse fraudatos – ita nunc idem dico etiam de consiliariis provincialibus et burgimagistris et conventûs provincialis legatis. Vehementer errat, qui generaliter condemnat illos; nam multi illorum politicorum in praesenti idem patiuntur ac vos.



**Angela Merkel cancellaria foederalis  
Marcus Söder praeses Bavariae foederalis**



**Jens Spahn minister valetudinis**



**Horst Seehofer minister rerum internarum**

At meâ quidem sententiâ in ius vocandi sunt tres homines politici maximê responsales, qui effecerunt calamitatem miserrimam, id est *Angela Merkel* cancellaria foederalis, quae haec omnia direxit et *Jens Spahn* eius minister valetudinis necnon Dominus *Horst Seehofer*, in cuius ministerio charta scripta est horribilis, in quâ explicatur, quomodo parvuli in terrorem conici possent eo quod iisdem exhiberetur, quam miserê suffocetur homo vîro coronae affectus. Oportet hos tres homines causam dicere. Praeterea septimanis proximis futuris decernetur, in rebus politicis quid agatur.

Multas gratias vobis ago pro attentione vestrâ.



**Prof. Dr. Stefan Homburg** interrogatur a Milenâ Preradovic diurnariâ liberâ  
 17.04.2020. 1.195.731 Aufrufe. <https://www.youtube.com/watch?v=Vy-VuSRoNPQ>  
 Hôc in colloquio interrogatorio îdem professor affirmavit quarantenam totius Germaniae publicam (“*lockdown*”) damnosissimam non fuisse necessariam.

# CHRONOGRAMMATA DEMMINGIANA

In diesen Zeiten wichtig!

MANVS SAEPENVMERO AQVA & SAPONE PVRGARE

Kumpelment uut Mönster!

Chronogrammatistische hexametrische Terzine zu COVID-19

EVROPA AFFECTA, TRISTI VEXATA  
 AEGROTANS CAECA PESTE VAGA LATE, TV  
 EXPERTA POTENSQVE TERRA, AGE ET  
 OBDVRA ! MVLTO GRAVIORA TVLISTI.

*Übersetzung: Hart mitgenommenes Europa, gepeinigt und leidend an einer unheilvollen, unergründlichen, sich weit verbreitenden Seuche, du erprobter und mächtiger Erdteil, handle und halte dagegen! Viel Schlimmeres hast du ertragen.*

GRATIA SIT TIBI VIRVS CORONA QVIA EX  
 INOPINATO ACERBITATE NOS DOCVISTI ALTERVM  
 ALTERIVS EGERE AVXILII

HANNES DEMMING FECIT

VDERZO SENEX PICTOR ASTERIGIS INVENTORQVE  
 FICTORQVE ARTIFEX FELIX IN CAPITE GALLIAE  
 MORTVVS

HANNES DEMMING FECIT

**Raffaello Sanzio da Urbino, auch Raffael da Urbino**  
oder Raffaello Santi oder Raffaello Sanzio  
oder kurz Raffael

\* **6. April** oder **28. März 1483** in **Urbino**  
† **6. April 1520** in **Rom**



**Q**VINGENTIS ANNIS ANTE  
**D**IE SEXTO MENSIS APRILIS  
**R**APHAEL SANCTIVS VRBINAS  
**P**ICTOR ITALVS EGREGIVS  
**I**N VRBE AETERNA  
**E** VITA EXCESSIT

MMXX

**Am 6. April vor fünfhundert Jahren ist der hervorragende Maler  
Raffaello Sanzio da Urbino in Rom, der Ewigen Stadt, gestorben.**

**TOBIAS RÖSSLER FECIT**

## MANETISNE DOMI?

Ineunte mense Martio, Districtus Fœderalis præfectus, ratione pestis covidianæ, per decretum nundinas, emporia, tabernas, thermopolia, popinas, deversoria, scholas, facultates multaque alia ædificia iussit claudi. Eiusdem decreti vi omnes debent se domi continere. Sed biocolyti, viarum scoparii, medici, infirmarii, pharmacopolæ, supermercatuum operarii non possunt relinquere officia sua. Laophora et metropolitana etiam commeant.

Paucis post diebus et aliarum provinciarum prætores et oppidorum urbiumque præfecti similia decreta promulgaverunt. Inter quos unus aut alius severiores dedit prohibitiones. Alius, exempli gratia, in custodiam tradit quemcumque, licet solus deprehendatur, per viam ambulantiem. Alius ita clausit sui oppidi fines, ut ne autoplaustra quidem possent intrare! Ergo in alio oppido desunt personæ respiratoriæ; in alio deest alcohol glutinosum; in alio desunt medicamenta; in alio deest cibus. Sed in omnibus præfectis deest recta ratio.

Ne nimis de aliis loquar, meam narrabo condicionem. Sum magister liber, id est, non habeo vinculum stabile cum scholis aut facultatibus. Ibi doceo, ubi officio meo opus est. Sed quia facultates, ubi institutiones trado, non possunt aperiri, omnino privor mercede mea horaria, per quam vitæ sustentationem procuro. Si non habeo unde rebus meis provideam, nonne ipsæ scholæ et facultates clausæ in idem periculum aliquando incident? Unde remunerabunt operarios? Propolas cogitemus, cogitemus etiam nundinatores, tabernarios et alios multos qui coacti sunt relinquere negotia sua: unde locationem solvent? unde cibos sibi suisque ement? unde quærent dignam et honestam vitæ sustentationem? Una ergo cum covidiana peste populum Brasilianum alia circumvenerunt incommoda.

Pestis covidiana, ut rationibus statisticis demonstratum est, cito propagatur, sed non est tam letalis quam influenza. Præterea iam inventum est medicamentum efficax. Sed diurnarii pergunt mentiri nobis et mentiendo dant occasionem eis, qui redigunt nos in duram servitutem et auferunt libertatem nostram.

Interim artifices et histriones, præfecti et prætores, ex splendidis domibus et cum lautis cibis et pecunia grandi, non suadent, sed iubent ut, summa cum penuria et difficultate, maneamus domi et relinquamus officia nostra. Quis nos defendet a præfectis insanis et a prætoribus hallucinatione captis? Quis oculos aperiet artificum et histrionum? Quis continebit mendacia diurnariorum?

In Brasilia, velint nolint, unus Præses Bolsonarus defendit officia, libertatem, salutem et incolumitatem nostram.

**Urbanus Ferrarius**

## **ECHUS VOCES ET EPISTULAE**

Urbanus Leoni Latino s.p.d.

Similiter ac tu, Iairus Bolsonarus dicere solet “medicinam magis nocere quam ipsam pestem non oportere”. Re enim vera si omnes domi se continebunt, ipsa res œconomica corruet; et ii, qui non peribunt morbo covidiano, fame et tristitia peribunt. Desperatione capti, non pauci interficient semetipsos.

Sed licet is non sit vir ille sapientissimus et omnibus ornatus virtutibus, tamen non numeratur inter eos, qui ærarium publicum læserunt sive ad pecuniam propriam augendam sive ad sustentandos sævissimos aliarum civitatum dictatores.

Diurnarii hic et ubicumque terrarum avidissime Bolsonarum diffamant, quia ipse, ut credo, levavit vocem contra insanum illum globalismum qui sævit in patriæ iura.

Urbanus

**D.17.05.2020 h.17:13 scripsit David Gowin:**

**Salve vir doctissime, optime Nicolaus Groß, mi amice care!** Si vales, bene est, ego item valeo! Quid agis? Utinam salvus sis. Mala tempora currunt, ut Cicero noster ait. Atque ego valeo...Laudetur Deus Israel! In Sancta Terra scholae et Synagogae clausae sunt. Nos Iudaei publicum fugimus, et a fratribus in fide nostris secedimus. Hoc novum est, nobis Iudaeis! Oro pro te et omnes homines, qui super totam terram sunt, ut Deus, qui gubernator huius mundi est, hunc morbum letalem, qui Corona appellatur, a nobis auferat. Spero fore ut novam Leoninam epistolam rursus legam. Quae mihi magno gaudio semper est, Latine legere. Deus Israel te et familiam tuam benedicat, et nobis ab omni malo servet! Amen! Omnia bona tibi precor! Vive valeque! Amicus tuus, David, ex Sancta Urbe Hierosolymis!”

**Nicolaus Leo Latinus Davidi Gowin sal.pl.dic.** Recte animadvertisti Epistulas Leoninas iam diutule non editas esse. Gratias tibi ago plurimas, quod vota mihi mittis salutaria. Utinam tu quoque quam optime valeas. In animo mihi est cras mittere Epistulam Leoninam novissimam (216). Miror quod Iudaei non sequuntur consilia Isaaci Ben-Israel mathematici sui ingeniosissimi, qui cognovit pandemiam iam post sex septimanas evanescere, etiam sine quarantena generali (*shutdown, lockdown*), quae nullum haberet effectum nisi nocentem. Sueti videntur unica natio esse, quae a quarantena publica abstinuit. Apud nos quarantena et masca orinasalis adhuc sunt obligatoriae; in Italia, Hispania, Francogallia etiam severius cives vexantur. Sero sapiunt Phryges, sed apud nos cives paulatim et gradatim sentiunt regulas coronarias gubernationi esse instrumenta minus apta ad servandam sanitatem quam potestatem dictatoriam. Itaque multae fiunt manifestationes, quarum participes interdum ab astyphylacibus aspere tractantur. Haec hactenus raptim; mox certe plura. Sit tibi valetudo prosperrima, care David! Utinam quarantena mox tota tollatur, ut libertatem recuperemus! Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

**David Nicolao amico caro et viro doctissimo salutem plurimam dicit!** Spero te bene valere! Magno cum gaudio litteras tuas legi. Maximas gratias tibi ago pro verbis benignis et votis bonis! Laetus sum quod tibi bene valeat. Gaudeo me iam mox epistolam Leoninam novam lecturum esse. Cura ut valeas! Amicus tuus, David Gowin





JA WAS DENN JETZT?

**AUGETE EMISSIONEM CARBONEI DIOXYDATI !!!**

**AUGETE TEMPERATURAS!!**

**NECATE VIRUS CORONATUM !!**

**QUIDNAM NUNC ?**

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

| NR | Num. mand a-telae | ISBN              | TITULUS  | AUCTOR                          | TRANS-LATOR    | ANNUS | FORMA      | AMPLI-TUDO | PRE-TIUM |
|----|-------------------|-------------------|--|---------------------------------|----------------|-------|------------|------------|----------|
| 1  | 00104             | 978-3-938905-00-5 | <b>FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA</b>   | Anonymus (Old Indian)           | Nikolaus Gross | 2004  | CD-ROM pdf | 7 pp.      | € 17,90  |
| 2  | 00104 A           | 978-3-938905-15-9 | <b>FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles</b>                         | Anonymus (Old Indian)           | Nikolaus Gross | 2005  | Audio      | 21 min.    | € 22,90  |
| 3  | 00204             | 978-3-938905-01-2 | <b>TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM</b> | Edgar Allan Poe                 | Nikolaus Gross | 2004  | CD-ROM pdf | 33 pp.     | € 27,50  |
| 4  | 00304             | 978-3-938905-02-9 | <b>ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE</b>                                     | Heinrich von Kleist             | Nikolaus Gross | 2004  | CD-ROM pdf | 6 pp.      | € 17,90  |
| 5  | 00304 A           | 978-3-938905-16-6 | <b>ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles</b>                   | Heinrich von Kleist             | Nikolaus Gross | 2004  | Audio      | 6 min.     | € 20,90  |
| 6  | 00404             | 978-3-938905-03-6 | <b>MEMENTO MORI</b>  | Alexander Saxon                 | Nikolaus Gross | 2004  | CD-ROM pdf | 7 pp.      | € 17,90  |
| 7  | 0040 A            | 978-3-938905-17-3 | <b>MEMENTO MORI – Libri audibiles</b>  | Alexander Saxon                 | Nikolaus Gross | 2005  | Audio      | 20 min.    | € 21,90  |
| 8  | 00504             | 978-3-938905-04-3 | <b>DE CRAMBAMBULO</b>  | Marie von Ebner-Eschenbach      | Nikolaus Gross | 2004  | CD-ROM pdf | 14 pp.     | € 19,50  |
| 9  | 00604             | 978-3-938905-05-0 | <b>DE DINOSAURIS</b>   | Nikolaus Gross                  | -----          | 2004  | CD-ROM pdf | 16 pp.     | € 19,00  |
| 10 | 00704             | 978-3-938905-06-7 | <b>SUDATORIUM VENERIS</b>  | Diogenes Anaedoeus              | -----          | 2004  | CD-ROM pdf | 11 pp.     | € 19,50  |
| 11 | 00804             | 978-3-938905-07-4 | <b>PERICULUM FRANCISCI</b>   | Diogenes Anaedoeus              | -----          | 2004  | CD-ROM pdf | 7 pp.      | € 17,90  |
| 12 | 00904             | 978-3-938905-08-1 | <b>NUPTIAE ABDERITANAE</b>   | Bertolt Brecht                  | Nikolaus Gross | 2004  | CD-ROM pdf | 21 pp.     | € 22,00  |
| 13 | 01004             | 978-3-938905-09-8 | <b>TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN</b>   | Henricus van den Lande de Raelt | -----          | 2004  | CD-ROM pdf | 7 pp.      | € 17,50  |

|    |         |                   |  |                               |                |      |               |         |         |
|----|---------|-------------------|--|-------------------------------|----------------|------|---------------|---------|---------|
| 14 | 01104   | 978-3-938905-10-4 | <b>DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO</b>                          | Nikolaus Gross                | -----          | 2004 | CD-ROM        | 21 pp.  | € 22,00 |
| 15 | 01204   | 978-3-938905-11-1 | <b>FABELLAE GRIMMIANAE 1</b>   | Jacob Grimm/<br>Wilhelm Grimm | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf    | 28 pp.  | € 24,90 |
| 16 | 00105   | 978-3-938905-12-8 | <b>ROMULUS MAGNUS</b>  | Friedrich Dürrenmatt          | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf    | 49 pp.  | € 31,90 |
| 17 | 00205   | 978-3-938905-13-5 | <b>DE THILO CUSTODE FERRIVIAE</b>                                      | Gerhart Hauptmann             | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf    | 28 pp.  | € 24,90 |
| 18 | 00305   | 978-3-938905-14-2 | <b>HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)</b>                                      | Christoph Martin Wieland      | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf    | 15 pp.  | € 19,50 |
| 19 | 00405   | 978-3-938905-19-7 | <b>WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT</b>                                 | Johann Wolfgang von Goethe    | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf    | 82 pp.  | € 38,90 |
| 20 | 0050    | 978-3-938905-22-7 | CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 –<br><b>Libri audibiles</b> | M.T. Cicero                   | -----          | 2005 | Audio         | 40 min. | € 21,90 |
| 21 | 0060    | 978-3-938905-18-0 | SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM –<br><b>Libri audibiles</b>      | M.T. Cicero                   | -----          | 2005 | Audio         | 30 min. | € 20,90 |
| 22 | 0070    | 978-3-938905-23-4 | CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 –<br><b>Libri audibiles</b>                 | C.I. Caesar                   | -----          | 2005 | Audio         | 55 min. | € 22,90 |
| 23 | 00106   | 978-3-938905-21-0 | <b>AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE</b>   | Nikolaus Gross                | -----          | 2006 | CD-ROM pdf    | 87 pp.  | € 48,00 |
| 24 | 00206   | 978-3-938905-20-3 | <b>DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM</b>    | Karl Friedrich Kielmeyer      | Nikolaus Gross | 2006 | CD-ROM pdf    | 66 pp.  | € 38,00 |
| 25 | 00306 A | 978-3-938905-24-1 | CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 –<br><b>Libri audibiles</b>                 | C.I. Caesar                   | -----          | 2006 | Audio         | 61 min. | € 22,90 |
| 26 | 0040    | 978-3-938905-25-8 | CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 –<br><b>Libri audibiles</b> | M.T. Cicero                   | -----          | 2006 | Audio         | 41 min. | € 21,90 |
| 27 | 00506 A | 978-3-938905-26-5 | EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 –<br><b>Libri audibiles</b>  | L.A. Seneca                   | -----          | 2006 | Audio (2 CDs) | 88 min. | € 27,90 |

|    |            |                           |  |                                    |                   |      |                   |         |         |
|----|------------|---------------------------|--|------------------------------------|-------------------|------|-------------------|---------|---------|
| 28 | 00107<br>A | 978-3-<br>938905-27-<br>2 | ASINUS AUREUS AB<br>APULEIO SCRIPTUS   | Apuleius                           | -----<br>--       | 2007 | Audio             | 55 min. | € 23,90 |
| 29 | 00207<br>A | 978-3-<br>938905-28-<br>9 | OBSIDIO SAGUNTI A<br>T.LIVIO DESCRIPTA | Livius                             | -----             | 2007 | Audio             | 53 min. | € 23,90 |
| 30 | 00307      | 978-3-<br>938905-29-<br>6 | FABELLAE GRIMMIANAE<br>II              | Jacob<br>Grimm/<br>Wihelm<br>Grimm | Nikolaus<br>Gross | 2007 | CD-<br>ROM<br>pdf | 58 pp.  | € 32,90 |



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM**  
**DUCENTESIMAM SEXTAM DECIMAM**  
**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**ECCE VACCINATOR MUNDI**

**Die Iovis, 21. m. Maio a.2020**

**Nicolaus Groß**  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae